

.liii. ITEM ALIA .

Oportet nos fratres karissimi ad primum  
sanctę religionis fundamentum catholicam fidem tene  
re . in qua salus animarum corporumque redditur .  
Id est patrem et filium et spiritum sanctum in tribus personis crede  
re debemus . sed tamen unum deum esse in diuinitate  
et maiestate et unitate uirtutum et potestatum . Diliga  
mus ergo deum primum . ex toto corde . et tota mente  
et ex tota uirtute . Post deum uero . diligamus et proximos  
nostros tamquam nosmetipsos . quia non est perfecta dilec  
tio . si diligatur deus et non diligatur proximus . Dicente  
apostolo . Si quis dixerit quoniam diligo deum et fratrem suum oderit  
hic mendax est . Qui enim non diligit fratrem suum  
quem uidet . deum quem non uidit . Quomodo potest di  
ligere? Si igitur christiani sumus fratres et christiani uocamur .  
/124r/ opera christi facere et eius praecepta seruare . ac mandata illius  
implere debemus . Non sit tamen odium in nobis . nec in  
uidia uel iracundia erga fratres nostros . quia qui fratrem suum  
odit sicut dicit apostolus homicida est . et in tenebris am  
bulat et nescit quo uadit . neminem quoque detrahe  
re debemus . quia detractatio graue uitium est et gra  
ue peccatum . Non sit in nobis superbia . quia per superbiam  
diabolus de caelo caecidit . Scriptum est enim . Deus superbis  
resistit . Humilibus autem dat gratiam . Sicut in euan  
gelio scriptum est . Omnis qui se exaltat humiliabitur .  
et qui se humiliat exaltabitur . fugite quoque per omnia  
ebrietatem quasi crudelissimam bestiam . quia ubi  
ebrietas regnat . ibi luxuria dominabitur et furor . et  
quia nichil aliud est ebrietas . nisi manifestissimus

daemon . per quam adulteria et homicidia et lites . se pis-  
sime perpetrantur . Cauete autem periuria . in quibus  
mors animę et corporis consistit . nullus etiam ex uobis  
falsum testimonium . de quacumque causa contra pro-  
ximum suum audeat dicere . Nemo quoque rem  
proximi sui concupiscat . non in maioribus nec in mino-  
ribus rebus . Nullus etiam ex uobis furtum faciat . nec  
facientibus consentiat . Non adulteramini . sed uir et  
mulier . sicut apostolus precipit . in inuicem sibi cum imma-  
culata fide corpora sua custodiant . Ab omni quoque  
uana gloria et simulata dilectione ceterisque uitiis . quę  
longum est per omnia enarrare omnes declinate . Non  
enim dormit inimicus generis humani . sicut dicit  
beatus petrus apostolus dicens . Aduersarius uester diabolus  
/124v/ tamquam leo rugiens circuit . querens quem deuoret . cui  
resistite fortes in fide . Oportet nos ergo fratres karissimi ad deum  
semper sine cessatione clamare . ut ab eius potestate et de  
praedationibus eius nos dignetur liberare . diem quoque  
iudicii ante oculos mentis semper habete . In quo reddet  
unusquisque de omnibus operibus suis rationem . siue boni  
quod operatus est . siue mali quod perpetravit . Si autem haec  
et multa his similia quae semper caritati uestre ammonui  
fratres karissimi cum summa uigilantia et intentione cordis seruaue-  
ritis . certam spem in deo habete . quia quecumque ab eo petie-  
ritis possidebitis . Sicut saluator in aeuangelio dicit . Amen  
dico uobis quicquid orantes petitis . credite quia accipie-  
tis et fiet uobis . Cito enim auertet indignationem suam  
a nobis et dabit nobis pluuiam uoluntariam et tempora  
tranquilla . et fructus terrae et uinearum uberrimos cęles-  
ti gratia benedictos . Sicut in aeuangelio scriptum est .  
Querite primum regnum dei et iustitiam eius . et haec

omnia adicientur uobis . Virtutes ergo sanctas fratres karissimi .  
a domino deo postulare debetis dicentes . Da nobis quas omnipotens  
deus . uelle cogitare incipere operari et perficere . que tibi  
acceptabilia sunt . et fac nos declinare a malo . et facere  
bonum . Relinquere uitia . et apprehendere fortes uir  
tutes . per quas intelligamus te timere . et te amare . et  
tua praecepta seruare . Et ut haec omnia obtinere  
ualeamus . tua nos semper misericordia preueniat et subsequatur .  
et insuper quod his omnibus maius est dare nobis digne  
ris . participationem et societatem cum sanctis tuis in aeterna  
claritate . et in beatitudine celestis gaudii . per dominum . nostrum . iesum . christum .